



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. VI. Defensio doctrinae de delectu ciboru[m] in epistola Telesphori: & explanatio loci epist. 1. ad Timoth. cap. 4. de cibis, quem locum Luterani depraua[n]t. & de ieiunio ex scripturis, & de ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

stitutionibus apostolicis cap. 6. ait: Altare autē, inquit, non obambulat, aut circuit, sed in vno loco positū ac fixū est. sic illas admonuit apostolica constitutio, perseverandum esse in orationibus, nec esse eis circuncursandū accipiendi gratia, sed magis expectādum, vt offeratur illis velut ad altare: ac multo etiā minūs ministrandū ad altare: altare enim ipsum nō potest fungi officio ministri. Sed hæc hæc tēns. transeamus ad aliud caput accusationis.

Defensio doctrinæ de delectu ciborum in epistola Telesphori: & explanatio loci epist. 1. ad Timoth. cap. 4. de cibis, quem locum Luterani deprauāt. & de ieiunio ex scripturis: & de fabulis apud Paulum abstinentium olim à cibis, item explanatio loci Pauli de exercitatione corporali ad modicum vtili, ex auctoritate multorum veterum patrum. Cap. 6.

AC de ieiunio, inquit, Telesphori epistola 1.] Hoc ipsum prius
distinctiūs adhuc notārant Magdeburgenses cum paucis alijs, quæ
quia ad caput doctrinæ potius pertinere videbantur, responsionem
ad ea in hunc librum reseruauit: Recitabo ergo prius proœmium, quo vsi
sunt isti. Cæterum, inquit, si reliqua ad amissim doctrinæ Prophetarū,
Christi, & Apostolorum examinantur, ipsa mysterij iniquitatis fundamē-
ta & insignia inueniuntur, qualia sunt prohibitio cōiugij, Clementis epist.
2. & quod Euaristus mulierem iubet, si adulterium commisit, viro suo re-
conciliari, aut remanere innuptam, & prohibitio ciborū, Telesphorus se-
ptem hebdomadas ante pascha à carne ieiunare præcipit &c.] Responde-
bo ad hoc extremū prius, vt ordinem respondendi ad caput de doctrina,
quod Magdeburgenses separatim composuerunt, seruem. Hic igitur verū
quoq; est, quod B. Petrus de epistolis B. Pauli scripsit, esse in eis quædā dif-
ficultia ad intelligendum, quæ indocti & instabiles ad suam perditionē de-
prauāt, quale est, quod in epist. ad Timotheum priore scriptum est in eos,
qui cibos tanq̄ natura malos prohibebant. idcirco enim Paulus de eorum
creatione meminit, dicens, [quos Deus creauit] vt illos statim verbo Do-
mini confutaret: De Domino enim dixit Moyses: Vidit cuncta, quæ fecerat,
& erant valdè bona. Prouidens autem scriptura, quia bonum est abstinere
à cibis in honorē & cultum Dei ad profectum spiritūs, præsertim cūm vē-
turi essent hæretici, qui contradicerent, vt nunc Magdeburgenses, nè quis
falsò existimaret sanciri hinc perpetuam ac necessariā adiaphoriam, id est,
indifferentiam ciborū, non dixit solūm, Quos Deus creauit: sed, Ad perci-
piendū cum gratiarū actione. Quibus verbis satis significauit ijs, qui intel-
ligere volunt, percipi quidē aliquandō cibos alioqui bonos, vt à Deo crea-
tos, nō iustè tñ, nec in Dño: ac proindē non percipi in gratiarū actione: nam
quod iniustè fit, non potest esse in gratiarū actione. Malum enim non est in
bono, vt ait apostolica cōstitutio. Hoc ipsum solet scriptura in alijs prouid-
dere, quibus benè & malè vti cōtingit, vt cū iubet seruis, obedire dominis

2. Pet. 3.
1. Tim. 4.
Exponitur hic
locus quod eo
abutantur
Magd. contra
ciborum delectum.

Cautio scriptura in ijs, quibus bene & male vti contingit.

Quid sit, percipere cū gratiarū actione.

1. Cor. 7.

carnalibus in Christo, id est, iuste: & viduis, quæ non vouerunt, permittit iterum nubere in Christo. Deinde subiungit Apostolus ad confirmationem eiusdem sententiæ, Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Nec hinc dixit solum, Et nihil reijciendum. sed, nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: vt similiter significaret, tunc esse reijciendum, cum non percipitur cū gratiarum actione, id est, iuste & in Domino. Etenim si nunquam euenire hoc poterat, quid opus erat sic dicere, Et nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur? Contingit igitur aliquando, vt non percipiatur cū gratiarum actione, id est, iuste. sic enim videtur interpretari apostolica constitutio, à Clemente Rom. lib. 6. scripta, cum ait cap. 11. Et omnem creaturam Dei bonam esse dicimus, & nihil abominabile: omne quod ad sustentandum corpus iuste sumitur, optimum: Cuncta enim, ait scriptura, erant valde bona. Hastenus apostolica constitutio, scripturæ Pauli, vt mihi videtur, interpretes. Si quis igitur cibus ex se malus & reijciendus esset, maxime is quidem esse videretur idolothytum, at ne id quidem ex se reijciendum esse, aut inquinare posse, ex eo docet, quod sanctificatur per verbum Dei & orationem: compræhensum est enim etiam idolothytum, cum dictum est: Omnis creatura bona est &c. Similiter in epist. ad Corinth. priore, vt doceret non debere fidelem fratrem eijcere vxorem infidelem, tanquam ex se immunda esset, & conuictu eius inquinaretur, si ipsa consentiret habitare cum eo, subiungit: Sanctificata est enim mulier infidelis per virum fidelem. Sæpe enim fidelis infidelem coniugem ad fidem & sanctificationem baptismi adducit: similiter & filios sanctificari per fidelem patrem, aut matrem contingit: sic nunc nullum cibum ex se reijciendum esse docet, ne idolothytum quidem. alioqui si ex se reijciendum esset, esset item ex se immundum. nunc autem per verbum Dei & orationem sanctificatur, non est igitur ex se immundum. quare restat, vt nihil reijciendum sit, quod cum gratiarum actione, sicut Apostolus ait, id est, iuste percipitur. Cum autem iuste percipitur, iuste quoque sanctificatur ac benedicitur. idcirco enim prius posuit percipi cum gratiarum actione, & postea sanctificari. Si verò non iuste percipitur cibus, sanctificatur quidem per verbum Dei & orationem: & erit sanctificatus & benedictus, non tamen iuste sanctificatur & benedicitur ab eo, qui eum sanctificat & benedicit ad vtendum contra iustitiam, vt vos Magdeburg. & cæteri Lutherani facitis, cum carnem, quibus diebus non licet, editis. vestra enim tunc benedictio nec cibum sanctificat ad vtilitatem corporis, nec ad vtilitatem animæ. non enim sanctiores efficit vos eiusmodi cibo iniquè vtentes, neque facit, quin anima iniquinetur malè vtendo. vnde rectè Origenes lib. 8. contra Celsum de benedictione ciborum: Vbi gratias (inquit) egimus, pane vescimur, quia utique oratione & precibus sanctius quoddam corpus conflat, quod sanè sanctiores hos reddit, qui mente integriore hoc ipso vtuntur. Cum igitur Paulus dicendo nihil reijciendum esse, quod cū gratiarum actione (i. iuste) percipitur, sanctifica-

etificatur enim per verbum Dei & orationem, simul docuerit, illud reijciendum esse, quod iniuste percipitur, nec id sanctificari ac benedici posse ab eo, qui iniuste percipit, vt tali sanctificatione ac benedictione fieri possit licitum ac iustum: consequens sane est, vt intelligamus fuisse iam tunc, cum hæc scripsit, legem de cibis iuste sumendis, & iniuste percipi cibum, aut cibi genus, si contra legem percipiatur. Vbi enim non est transgressio legis, non est iniustitia: & vbi non est lex, cuius transgressio cauenda sit, ab scandalo tantum cauendum erit, sicut idem Apostolus in epist. ad Romanos præcipit, vt in adiaphoria ciborum, qui firmiores sunt, nè infirmos scandalizent: in eo enim genere, qui manducat, gratias (inquit) agit Deo, id est, iuste manducat: (nulla enim lex prohibet) & qui non manducat, gratias item agit Deo, id est, iuste etiam non manducat. Quis enim gratias agit Deo in eo, quod ei facere non liceat, & iniustum sit? Tunc ergo docet Apostolus liberum esse, vt liberum libeat facere, neque debere fratres inter se alios ab alijs iudicari. Quod si erat lex de cibis iuste sumendis cum hæc (vt dixi) Paulus scripsit, aliqui nunquam dixisse: non esse reijciendum, quod iuste perciperetur, sic enim sancti Apostoli in suis constitutionibus, vt iterum dicam, interpretati sunt, percipere cum gratiarum actione, quomodo Magdeburg. vocant huiusmodi leges de cibis prohibitis, laqueos & Pharisaicas traditiones, & onera Iudaica? Paulus ergo laqueos iniecit, & onera Iudaica probauit. immo non erat dicturus, secundum istos Pauli correctores, nihil reijciendum esse, quod cum gratiarum actione percipiatur, nè intelligi posset, relinquere aliud, quod aliquando non perciperetur cum gratiarum actione, ac proinde reijciendum esset: non sic, inquam, dicturus erat, sed potius nihil omnino reijciendum esse, siquidem omnis creatura Dei bona esset. An non erat ab omni ratione prorsus alienum, vt quod aliquando sponte suscipi solet, ac salutare esset, & non arduum, neque difficile, idemque exemplis scripturæ sanctæ commendatum legeretur, non posset lege sanciri à patribus ac maioribus nostris, quos Deus in Ecclesia posuit ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi? Licuerit Sauli pugnare cum Philistæis, indicere ieiunium, vt sanctus Leo ait, & non licuerit sanctis Apostolis ieiunandi legem per spiritum Dei nobis sancire, & dies ieiuniorum statuere, & creophagias interdicerere cum mundo, diabolo & carne pugnaturis? Saul non est reprehensus in scriptura, qui ieiunium indixit ad implorandam opem Dei, neque quod in filium, propter ieiunij violationem, seuerè animaduertere voluisset: & audetis vos reprehendere patres nostros, qui ieiunia nobis indixerunt? Dicite mihi Magdeburgenses, vnde didicit Rex Niniuitarum gentilis, indicere ieiunium Niniuitis? Nonne ex prædicatione Ionæ, pœnitentiam prædicantis? Prædicabat igitur Ionas simul cum pœnitentia fructum pœnitentiæ ieiunium, quod Rex ad prædicationem Ionæ imperauit. Cur ergo Ecclesia, quæ ab Apostolis sanctis prædicationem pœnitentiæ & ieiunij accepit, non fi-

Ex verbis S. Pauli licet colligere, fuisse tunc legem de cibis iuste sumendis, contra adia-

phoriam.

Secundum doctrinam Magdeburg. laqueos iniecit Paulus, & onera Iudaica imp'suit.

Ieiunium licuisse patribus indicere qui negant, à ratione & scriptura discrepant.

Eph. 5. 1. Reg. 14.

Saul pugnaturus, ieiunium indixit.

Ieiunium rex Niniuitarum ex prædicatione Ionæ dicit.

militer possit indicere ieiunium populis fidelium? an non est laudatum in scriptura ieiunium illud Niniuitarum? quod quidem vsque ad animalia eorum, ratione carentia, progressum est: non quod Deus hoc requireret, vt ait beatus Cyrillus in commentarijs huius prophetæ, aut hoc necessè esset facere, sed quia sic (inquit) demonstrata est hyperbole, id est, exuperantia, vt ita dicam, pœnitentiæ illorum. Quod si hoc de ieiunio animantium literis sacris proditum est, non propter ipsas animantes (nunquid enim est Deo, ait Apostolus, cura de bobus?) sed propter nos? (omnia enim ad nostram doctrinam scripta sunt) videtur profectò docere hic scriptura, stolidiores esse pecudibus, qui existimant non licere indicere legem ieiunij corporibus hominum, & affligere ea in obsequium & cultum Dei, & obedientiam spiritûs, si licuit indicere corporibus iumentorum & pecudum, siue quia erant ad vsu hominum comparata, vt Theodorus Antiochenus in comment. Ionæ ait: siue vt mugitu & balatu (vt ait Theodorus) commoti homines, magis ac magis dolerent. Præterea si Ionas prædicans pœnitentiam, ieiunium tanquàm fructû eius prædicabat, quomodo credibile sit, cum Ioannes Baptista pœnitentiam quoque prædicabat, & vt fructus pœnitentiæ dignos faceret, hortabatur, non simul ieiunium prædicasse? præfertim cum idem Ioannes propter nimium & assiduum ieiunium dictus sit in Euangelio neque manducans, neque bibens, qui melle tantum syluestri vesceretur & locustis, quæ genus herbæ erant, si Magno Athanasio credimus, quod autoritate scripturæ sanctæ probat, cum ait Dauid: Excussus sum sicut locustæ. & Ecclesiastes: Florebit amygdalus, & pinguescet locusta, & dissipabitur capparitis. Vt enim amygdalus, ait Athanasius, non est caro, & capparitis herba est, ita locusta, quæ crescit in campo & prato. Ioannes enim, inquit, si panem non comedebat, multo minùs carnem: mel autem, ait, ἀσπιτὶδὲν ἑρβῆμα erat, id est, cibus monachorum. Ergo si Ioannes Baptista pœnitentiam prædicabat, & ieiunium item, quod est inter fructus pœnitentiæ dignos, qua fronte audent Magdeburgenses cum prædicant pœnitentiam, legem ieiunij laqueum appellare? an non est vtile, vt non debeat probari? aut est fortassis arduum, vt imperari, aut suscipi non possit? aut non est laudatum & prædicatum in sanctis scripturis? aut caret exemplo Christi, Prophetarum & Apostolorum? Quæso vos Magdeburgenses, cum laudat Apostolus pœnitentiam Corinthiorum, quæ erat vindicta illa, quam inter cæteros fructus, illorum pœnitentia operabatur? quam (dico) vindictam de se sumebant illi pœnitentes? quod illud genus afflictionis? cur non creditis, afflictione ieiunij peccatum commissum, de quo dolebant, in seipsis, vt Niniuitas illos, vindicasse? immò, si placet, sacco etiã induisse? Quod si ad vindictam, quam de se Corinthij propter peccatû sumebant, qua corpus affligebant, ieiunium pertinuisse ratio ipsa & scripturæ sanctæ obseruatio confiteri cogit, quomodo negari potest ad ieiunium hoc planè se pertinere, vt à carne abstinatur? Quis enim abstinendo à cibus, corpus affligit,

affligit, si ab esu carnis non abstinet? Esse enim ieiunium genus afflictionis corporalis, scriptura quoque testatur verbo ipso afflictionis, quo utitur, ut cum ait in libro Nume. Ut per ieiunium affligat animam suam, quod Græcè dicitur *κακῶσαι*, pro quo Esaias dixit, humiliare animam per ieiuniū. immò ipsa etymologia vocabuli *νηστεύειν*, quod significat, ieiunare, satis hoc declarat. Dicitur enim *παρὰ τὸ ὑστερηθεὶς σιτίων*, id est, à vacuitate ciborum, quæ molesta est naturæ. Deindè cum corporalis exercitatio ieiunij utilis fit: quod negari non potest, cum Apostolus dicat, quod omnis exercitatio corporalis utilis est, cur non possit, quod testimonio Apostoli utile est, licet ad modicum, ad modicum item tempus iuberi & sanciri ijs, qui obedire possint? ut quidem sancitum est ieiunium solenne dierum quadraginta, quod Ecclesia catholica à sanctis Apostolis accepit, ut testis est Apostolica constitutio, quam Clemens Romanus in lib. 8. scripsit, quam vsq; in hodiernum diè Ecclesia Orientis & Occidētis religiosè tenet & seruat, & vsque ad consummationē seculi tenebit ac seruabit. Sed de exercitatione corporali plura paulò pòst. Prosequamur nunc locum epistolæ ad Timotheum. Postquam enim dixit aduersus eos, qui cibos superstitione & impiè prohibebant, nihil esse reiiciendum, quod cum gratiarū actione sumeretur, quod satis iam explicatum est: subiūgit, hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ, quæ secutus es. ineptas autem & aniles fabulas deuota. Satis hîc significat Apostolus, illud genus reiiciendi cibos se improbare, non quod à iustitia atque obedientia, aut ex voluntario studio exercendi corpus ad humiliandam animam proficiscitur, sed quod ex fabulosa superstitione quorundam hereticorū. Quia ergò loquebatur Apostolus de cibis natura bonis, ut à Deo creatis, non reiiciendis, si sic sumerentur, ut eis sumendis gratiæ agerentur Deo, cōsentaneū est, ut cum hîc fabulas vitare iubet, eas fabulas planè intelligamus, quæ ad superstitionem abstinentiā ciborum pertinebant, ut ex Clemente Romano intelligere licet. libro enim sexto c. 26. sic ait: Alij autem cibos quosdam malos esse dicunt, & nuptias cum procreatione liberorum itē malas, & à diabolo excogitatas: ac sua nequitia nolunt impijisti à mortuis suscitari, idcirco resurrectionem calumniantur, aientes se veneratione dignos, qui edere & bibere nolunt: cogitatione verò fingunt suscitandos se à mortuis, factos dæmonia incorporea. Hactenùs Clemens. Hæ sunt fabulæ illæ prophanæ & aniles, quas Apostolus dixit. Rursus idem Clemens in eodem libro cap. 10. loquens de eisdem, Alij, inquit, dicunt execrabiles esse nuptias & cibos, ut tanquam veneratione digni disciplinam suam peruersam quasi autoritate dignam approbari faciant. Hactenùs Clemens. Idcirco igitur à cibis abstinebant per falsam speciem temperantiæ & humilitatis, ut sic fabulam profanam & anilem, quod scilicet nulla esset corporum resurrectio, & quod ipsi suscitandi essent, facti Angeli, ut incorporei, discipulis suis probabilem facerent. Hinc Angelos ceu Deum colebant, à quibus manasse

quirit, ut à
carnibus ab-
stineatur.
Num. 30.
Esa. 58.

Constitutio
apostolica de
ieiunio Qua-
drages.

1. Tim. 4.

Quam ciborū
abstinentiam
improbat
Paulus.

Clem. Romā.
eandem nota-
uit, quæ à
Paulo est re-
prehensa.

Synodus *L. 109*
dicensis.
Tertul.
Col. 3.

Clem. Alexã.

Anastafius
Antiochenus.

Col. 2.

1. Tim. 4.

S. Anastafius
Antiochenus.

Ieiuniorũ lex
ad seruitutem
non pertinet.

2. Cor. 3.
S. Maximus.
Quomodo ex-
ercitatio cor-
poralis ad mo-
dicum utilis
fit.

S. Nilus.

Luc. 22.

manasse videtur ille cultus Angelorum, qui in Synodo Laodicensi cap. 35. damnatus est. Hi Angelos se vidisse aiebant, quæ erat fabula & phantastica cogitatio. Vnde Tertullianus libro 5. contra Marcionem, cum interpretatur locum epistolæ Pauli ad Colofs. cap. 3. Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu. & paulò post: Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum &c. Aliquos (inquit) taxat, qui ex visionibus Angelorum dicebant à cibis abstinendum esse. Item Clemens Alexand. lib. 3. Stromatum, Curæ, inquit, est magis à vino & esu carnis, & venere abstinere colentibus Angelos & Dæmones. Et sanctus Anastafius Antiochenus in libro de varijs quæstionibus scripturarum, quem *ἐπιτομή* inscripsit, dogma Iudæ Galilæi fuisse ait, profiteri phantasias siue visiones Angelorum prætextu religionis magnæ. Horum itaque fabulas vitandas esse monuit Apostolus in epist. ad Timoth. Cum igitur illi hæretici, quos in epistola ad Timoth. dicit, propter fabulosam & impiam superstitionem cibos prohiberent, necessariò consequens est, vt hanc ipsam superstitionem idem Apostolus tum in epist. ad Timoth. tum in epist. ad Coloss. veter & damnet, cibos scilicet, more illorum profanè & superstitiosè discernere. Et quia illi per solam speciem humilitatis & religiosæ abstinentiæ ciborum, veneratione digni videri volebant, neq; curam, idcirco Apostolus pietatem, qua illi carebant, commendans, & religioni ieiuniorum, & omni abstinentiæ anteponens, subiungit: Exerce te ad pietatem. Exercitatio enim corporalis ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia valet: nõ dixit, Inutilis est: sed, Utilis: tametsi ad modicum. Quòd si utile est ieiunare, Paulo Apostolo authore, utile dico ad adiuuandum spiritum, (de hac enim utilitate spiritali loquitur: siquidem eò spectant huiusmodi exercitationes corporales, quæ à Græcis *ἀσκήσεις* & *σκληραγωγίας* dicuntur, vt, sicut ait S. Anastafius in quæstione 64. non fruentes voluptatibus mundi, fruamur futuris bonis: & humiliato corpore, humilietur anima: vt rursus humiliata, Deum imploret) si, inquam, utile est ieiunium ad adiuuandum spiritum, quomodo potest lex ieiunij ad seruitutem, vt isti volunt, pertinere? siquidẽ ubi spiritus Dñi, inquit Apostolus, ibi libertas. Cur verò dicat exercitationem corporalem ad modicum esse utilem, intelligi potest ex eo, quod sanctus Maximus ait in Hecat. 57. Tradit enim distingui virtutes in corporales, & spirituales: & illas quidem *ἐπὶ ἀνάγκῃ* esse, id est, necessitati subiectas, quia pluribus modis ac rationibus impediri possint, ita vt qui eas non habeat, veniam ferat: has verò non sic subiectas esse, vt est pietas, quæ nec impediri potest, quin habeatur: nec excusari, qui eam non habeat. Item sanctus Nilus in explanatione illius loci Euangelici Lucæ, Vendat tunicam suam, & emat gladium: ad modicum tempus utilem esse ait exercitationem corporalem, quia cessat, inquit, in futuro: cognitio autem augetur. progressus faciens ab speculo & anigmate vsque ad illud, facie ad faciem. Pietatem vocauit hîc S. Nilus cognitionem,

nem, scripturam secutus, quæ in sapientia Salomonis cap. 10. *ἡσυχία* (id est, pietatem) vocat sapientiam. & Iob cap. 28. *ἡσυχία*, inquit, id est, pietas, sapientia est: & abstinere à peccatis, scientia. Rursus idem, sanctus pater Nilus in libro *περὶ τῆς προστῆσιος*: Exercitatio, inquit, corporalis ad modicum utilis est, disciplinis puerilibus similis: at pietas ad omnia est utilis, quæ efficit *ἡσυχίαν*, id est, bonam habitudinem in animis eorum, qui cupiunt passiones vincere contra aduersarium. Vt enim, inquit, rudibus adhuc ac nouitijs athleticis exercere corpus & membra assidue mouere conuenit, viris vero athleticis, id est, iam robustis, & studio certandi exercitatis conuenit roboris & virium curam habere, & vngi ad certamen: sic qui pietatem colere incipiunt, studium illis est cohibere opera: satis enim habent, si voluptatibus commoti & impulsus, passiones contineant. Qui verò iam habitum virtutis comparauerunt, & eorum, quæ ad mentem pertinent, curam habent, his studium ponitur in seruandis cogitationibus, nè ferantur ad aliquid inutile. Denique vt summam dicam, illis quidem, scilicet qui in studio exercitacionis corporalis sunt, cura est motus corporis moderari ac temperare: his verò, hoc est, pietatis studio deditis, cura est *τὰς ὁρμὰς τοῦ λογισμοῦ παύσειν*, id est, appetitiones & cogitationum pulsus castigare & reprimere, ita vt nulla phantasia animum à diuinis rebus meditandis ac contemplandis auocet, quod est, inquit, *τὸ ἡσυχῆσαι, καὶ θεοσεβῆσαι*, id est, pietatem & Deum colentis. Haec eni S. Nilus. Ad modicum ergò utilis est exercitatio corporalis, quia qui motus corporis cohibet, non continuò motus animi moderatur: at qui hos moderatur ac refrenat, illos quoque corporis refrenat. Rectè igitur Philotheus Græcus author in libello de præceptis diuinis: Qui, inquit, *Philothemus.* oculum animæ purum seruat, eijciendo cogitationes & adspiciendo in Deum semper, hic mandata de non concupiscendo, & non irascendo, & cætera eiusmodi facit. Vndè illud: Si oculus tuus, inquit, lucidus est, totum corpus lucidum erit, id est, carebit peccato. Vocat hoc mandatum *περιετρεῖν ἐν τῷ λυγρῷ*, id est, mandatum, quod vim omnium mandatorum in se comprehensam habet, vndè ad omnia valet, sicut de pietate dixit Apostolus. hoc vocat idè Philotheus, ambulare in spiritu, habere scilicet mentem *ἀνὴν φρουραγ*, id est, semper vigilantem, & intuentem in Deum, quæ non succumbat satanæ, neque prauis cogitationibus locum det, quod quidem pietas præstat, idcirco ad omnia valet. Exercitatio verò corporalis non sic utilis est, idcirco comparata cum pietate, ad modicum utilis est, sicut Apostolus ait. Quod verbum non intelligentes Luteranorum magistri, vel potius illufores, ad contemptum & improbationem ieiuniorum pertinere putarunt. Vndè Apostolus prouidens quod futurum erat, nec hoc prætermisit: diuinè enim in epistola ad Coloss. docuit, qua ratione utilis sit abstinentia ciborum religiosa, quam ieiunium vocamus, licet paulo obscurius, ita vt sit etiam hoc ex numero eorum, quæ beatus Petrus dixit, esse in epistolis Pauli difficultia intellectu, & ab imperitis & incōstantibus deperari: vt statim demonstrabimus.

Yyy

Explana-

Sap. 10.

Iob 28.

S. Nilus.

Philothemus.

Matth. 6.

Luterani imo

peritè abusi

Pauli loco.

Explanatio loci difficilis epistolæ ad Colos. 3. de abstinentia ciborum: & de cultu voluntario, & varijs exemplis eius in scripturis: & de interpretatione ridicula Marlorati in locum epistolæ ad Colos. & quomodo Luterani magistri ex proprietate verborum Pauli, & consequentia eorum coarguantur de falsa sua interpretatione eiusdem loci ad tollendum delectum ciborum tum iustum, tum voluntarium.

Cap. 7.

Col. 3.
Locus Pauli
de cibis in epi-
stola ad Co-
loß. explica-
tus.

Basilius.

Clem. Rom. li-
bro 6. de cõ-
stit. Apost.
Omnia, que
abstinentiam
ciborum cõ-
mendant, com-
plexus est
apost. in epist.
ad Colos.

1. Cor. 6.

ERgò postquàm Apostolus contra Iudaicas ciborum obseruationes de mundis & immundis, quæ cum lege deserant, dixerat: Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, & quæ sequuntur: quæ sunt, inquit, umbra futurorum, & contra illorum hæreticorum profanas & aniles fabulas, quas paulò supra explicauimus. item dixerat, Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, & quæ sequuntur: quia postea subiunxit, de cibis loquens, quæ sunt omnia in interitum ipso vsu: quod quidem significabat (vt beatus Basilius in comment. Esa. cap. 1. interpretatus est) omnes fructus terræ datos esse, vt consumantur: nè quis falsò existimaret, vt Luterani, improbari hîc ieiunia ac delectus ciborum, qualescunque sint, nec esse vllam legem Dei, aut mandatum de eis, aut doctrinam, præsertim cùm dixisset, quid in mundo decernitis secundum mandata & doctrinas hominum? nè gustaueris, nè tetigeris, (sic enim componenda sunt, quæ erant per hyperbaton collocata) idcirco subiungit: Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in religione spontanea & humilitate, in non parcendo corpori, non in honore aliquo, contra saturitatem carnis, non dixit, speciem habentia sapientiæ: sed, rationem: quæ perindè sunt, quasi diceret, Vt insipientia est & impietas, à cibis, qui ad vtendum dati sunt, abstinere superstitiosè propter fabulas & cultum Angelorum, aut Iudaicè propter umbram, quæ iam recessit, adueniente corpore: sic rursus sapientia quidem est, abstinere ad religionem & cultum Dei, ad humiliandam animam in ieiunio, & ad castigandum corpus, non abstinendo inhumanè, vt faciebant Manichæi & alij similes hæretici: nec abstinendo propter honorem cibi, vt qui abstinebant à carne, quod dicerent, habere animalia animam rationis participem, quos Clemens in libro 6. notauit: sed abstinendo contra saturitatem carnis: hoc enim significat $\pi\rho\sigma\epsilon\ \pi\lambda\iota\sigma\mu\omicron\nu\eta\tau\iota\sigma\ \sigma\alpha\rho\kappa\omicron\varsigma$, omnia itaque diuinè complexus est Apostolus, quæ abstinentiam ciborum laudabilem faciunt. Vocauit autem Apostolus hunc cultum Dei per abstinentiam ciborum $\epsilon\theta\lambda\omicron\upsilon\beta\rho\eta\sigma\iota\kappa\iota\alpha\mu$, id est, vt totam vim vocabuli exprimamus, spontaneum cultum siue religionem, quod liceat, si quis velit, hac religione corporali abstinendi à cibis, Deum colere ad humiliandam animam in ieiunio, sicut rursus licet item non abstinere, de cibis enim loquebatur Apostolus, cùm dixit, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem, esca ventri, & venter

escis,